

19.

Papst Paschal II. schreibt dem Bischof Wido von Chur, er möchte auch über die Belassung Hermanns von Augsburg im bischöflichen Amte nach bestem Ermessen entscheiden. (1118) Januar 19¹⁾. Porticus beati Petri.

Pascalis episcopus servus servorum dei venerabili fratri W(idoni) Curiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Multis multociens negotiis impediti habere omnium memoriam non valemus. Idcirco providentię tuę episcopi Augustensis negotium, sive in officio, sive in aliis duximus committendum. Tu itaque sic domino cooperante provideas, ut apud deum et homines possis inreprehensibilis inveniri. De cetero fraternitatem tuam hortamur, ut in bono, quod cepisti, constanter ad honorem domini perseveres. Etenim neque nostris primum temporibus persecutiones in ecclesia oriuntur neque dominus de eo ²⁾ confidentes et in eius servicio permanentes in persecutionibus licet gravibus derelinquet. Data in porticu beati Petri XIII kalendas Februarii.

20.

Papt Calixt II. ermuntert den Bischof Wido von Chur zu fernerer Treue und ladet ihn zur Theilnahme am Concil zu Rheims (1119, Octob. 20) ein. (1119) August 11. Angoulême.

Calixtus³⁾ episcopus servus servorum dei venerabili fratri W(idoni) Curiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Quam obediens quamque devotus circa sanctę Romanę ecclesię servicium hactenus extitisti, multorum relatione atque precipue fratris nostri Iohannis cardinalis attestazione compe-
rimus. Pro quo te in eiusdem ecclesię gratiam et antecessorum nostrorum familiaritatem receptum fore cognovimus. Nos quoque eorum vestigiis inherentes te ut virum catholicum et ecclesię dei utilem amplioris dilectionis brachiis amplectentes, honorare cupimus et in servicio ecclesię ac familiaritate volumus conservare. De cetero fraternitatem tuam in domino commonemus et rogamus, ut matrem tuam Romanam videlicet ecclesiam, sicut bene cepisti, defendere semper studeas et iuvare. Etenim nos paci et concordię omnimodis operam damus, et si secundum deum eam habere possumus, te socium et participem fore desideramus. Ad cuius compositionem religiosorum virorum et tuo potissimum volumus uti consilio. Unde presentiam tuam una cum aliis fratribus Remensi volumus interesse concilio, quatenus de liberatione et pace eccle-

1) Also 2 Tage vor dem Tode Paschals II. 2) 'eo' fehlt Hs. Dort ist von neuerer Hand 'se' corrigirt. 3) Ueber Calixtus die Jahreszahl 1119 überschrieben.